



**AUSPICATISSIMUM NA-
TALEM**

*SERENISSIMI REGII PRINCIPIS
ac DOMINI,*

**DOMINI FRIDERICI
AUGUSTI,**

*(August II.)
(August III.)*

**ELECTORATUS SAXONIÆ
HÆREDIS,**

DOMINI SUI GRATIOSISSIMI,

Ipsis Nonis OCTOBR. ANNI MDCCIII.

feliciter reductum,

**inter festivos totius SAXONIÆ plausûs
& devotissima suspiria,**

**subjectissimô animorum cultu votivâ Pietate
celebrabit.**

GYMNASIUM GORLICENSE.

Quare, ut

quæ nato PRINCIPI hûc annô sacra est.

Dominicâ XVIII. post Festum TRINIT.

Finitis Sacris publicis,

ad isthæc Sacra Natalitia submissè obeunda.

Horâ IV. pomeridianâ

convenient

MUSARUM PATRONI & FAUTORES,

ac

PATRIÆ SPEM

audiant.

ORATIONE exponentem.

CAROLUM HEINRICUM de Sebottendorff/

Nobilem Misnicum,

decenter rogitat

M. SAMUEL GROSSER,

RECTOR.

GORLICH, TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.



Memorabilem *Horatij*, Pœtæ venustissimi, AUGUSTI Cæsaris Encomiastæ solertissimi, vocem notarunt filij Philologorum, quâ non unum *Torquatum*, cum quò ipsi literarium commercium intercedebat, sed torpentes, & privatis saltem commodis indormientes Cives omnes atque singulos, ad publicæ Lætiæ confortium invitât, inqviens;

Cras, natò CÆSARE festus,

Dat veniam somnumque, Dies.

Verbis his si intendamus animum, habebimus fortasse, quæ ex *Aristippi*, imò *Epicuri* Scholâ promanasse suspicemur. Otij nimium, & dulcedo longioris somni, aut Symposiorum usus: fœdæ voluptatis potius, quàm festivæ Pietatis judicatur soboles. Ast, si nostri memores officij, quod universis isthòc quidem tempore relictum est, ad quos, ab hinc *Septenniò*, felici partu editi, & in hunc usque Diem divinis auspiciis servati PRINCIPIS, REGIS nostri, ejusdemque ELECTORIS benignissimi HÆREDIS, annua memoria devolvitur, quid factò opus sit, excutiamus: non Apollinem, Musarum Choragum; aut ex ejus Disciplinâ prodeuntem, Majestate carminum per ora hominum volantem Pœtam; sed ipsum totius Orbis providum Moderatorem DEUM, Principatum Satorem & Statorem, audimus verbis paululum mutatis exclamare: *Nisiades Muse, Cras, natò PRINCIPLE, festus,*

Dat pia thura precum, dat pia vota, Dies.

Dies enim illa, quâ vitales hausit auras PRINCEPS serenissimus, non, ex more veterum, lapillò candidò, sed, ex ritu Lutherano-Evangelicæ Religionis, annuò Mnemosynò, *Eucharisteriis Soteriis*que resonante, signanda pariter, & celebranda est. Recolamus intervalla utriusque, tum antecedentis nati PRINCIPIS Natalem, tum eundem proximè secuti Diei: & experiemur, multa nobis omina auspiciatissima occurrere. SPES, referatâ quasi temporum custodiâ, prodibat, latus alterum FIDE, CHARITATE alterum stipante: cum ingrederetur Orbem natus PRINCEPS, unica SPES PATRIÆ. O felicem, cui nascituro hæc Virtutum Triga Obstetricum, nato Nutricum, educando Formatricum præstat operam! Possunt quippe Subditi, ejusmodi auspiciis illecti, non modò SPERARE, verùm etiam CONFIDERE: PRINCIPEM sic natum & formatum talem evasurum, qualem optet & expectet Patria. Promittit FIDES Religioni cultum & Præsidium: SPES pollicetur omnium fortunis incrementum; CHARITAS afflictis subditorum rebus spondet solatium auxiliumque. — Et hæc quidem omina quotan-

quotannis recordatione tacitâ repeteré, ac publicâ devotione precû
 & votorum DEO commendare par est: quoties recurrit Dies hic,
 qui nostro PRINCIPIS *Natalis*, adeòque singulis SAXONIÆ terris
 urbibusque festus est. Quod ut à nobis quoque, debitâ in DE-
 UM PRINCIPEMq; Pietate & subjectione fieret, quantum in an-
 gusta cadit spatia *Gymnasij*, providimus. Et cum Musæ non SER-
 MONE saltem, sed & CANTU, quid in ipsis artis aut industriæ sit,
 experiri soleant: CANTU primum, postea SERMONE DEO
Gratias, & Vota PRINCIPIS persolvere agrediemur.

Antecedet itaque GRATULATORIUM Sermonem *Hymnus*
 inter Tubas resonantes decantandus

CHOR. I. Lætare Turba SAXONUM!

Renascitur nunc Gaudium
 Sacrum Natali PRINCIPIS.

CHOR. II. *Lux amœna, Lux serena,*

*Quâ sonora se Camœna
 Tollit & tripudiat.
 Millies salveto Festum,
 Quò novô Plebs more Gestum
 Fronte latâ præparat.*

CHOR. I. Lætare Turba SAXONUM &c.

CHOR. II. FRIDERICUS FRIDERICI,

*Hercules qui jure dicitur
 Possit, omnes allicit:
 Proles hæc AUGUSTA AUGU-
 SPESq; sceptri sola justæ (STI
 Verba votis objicit.*

CHOR. I. Lætare Turba SAXONUM &c.

CHOR. II. *Ferte vota, ferte plausus,*

*Ipse Jova dictat ausus:
 Quid moramur impetum?
 Namq; REGEM qui verentur,
 FILIO longum precentur*

Voce vite computum.

CHOR. I. Lætare Turba SAXONUM &c.

CHOR. II. *Jova, cæli Rex benigne,
 Tolle, quicquid hâc ab igne
 Surgit, & SPERM comprobat!
 Quodque Patriæ, timentis
 Spicula Martis ingruentis,
 Fracta membra recreat.*

CHOR. I. Lætare turba SAXONUM &c.

CHOR. II. O DEUS, foveto REGIS
 FILIUM, quò stante Legis
 Patriæ vis eminent:
 Annus Annum sic sequatur,
 SPES ut alma proferatur
 Quæ futura continet

CHOR. I. Lætare Turba SAXONUM &c.

CHOR. II. *Latamur, & DEUM rogamus,
 Ut, quod subinde flagitamus,
 Cælestis aura compleat!*

CHOR. uterq; *Jô! letamur, & precamur,
 Submissâ voce gratulamur:
 Nil PATRIÆ SPERM diruat!*

Huic CANTUI gratulatorio gratulatorius succedet SER-
 MO. Nam Denominatio Diei, quem NATALEM REGIO
 PRINCIPIS DEUS constituit, amplissimam SPER sementem, se-
 getem & messem liberaliter ostendit. Quare cum non ita pridem
 Belgicæ Historiæ Scriptores, & in his *Bizottum* voveret

CAROLUS HEINRICUS de Sebottendorff

Nobilis Misnicus,

& forte fortunâ in Nummum ineideret, jussu *Alexandri Farnesij*
 Parmæ Ducis, *Antwerpiam* A. MDLXXXV. obsessuri cusum,
 cujus pars averfa his notatur verbis: CONCIPE CERTAS SPES;
 quid, *Natali* Festo PRINCIPIS reverso, animi nobis esse debeat,
 eodem

eodem Nummò non 'obscure tradi credidit. Debellare pergit, expugnare fatagit SAXONIA regnante FRIDERICO AUGUSTO, Rege, rebus fortiter prosperèqve gestis, inter ipsos hostes celeberrimo, & PRINCIPE REGIO adolescente, varias adversitates, quarum cuneos perrumpere res ardui laboris est. Cum ergò in DEO nostra SPES sit; per eundem DEUM etiam de REGIS Imperiò Sagò pariter & Togà spectatissimò, de Vitâ item, Educatione, & futurâ Magnitudine PRINCIPIS, Patria SPES CERTAS CONCIPIT. Hinc, qui SERENISSIMI PRINCIPIS Natalem gratulatoriò sermone supra memoratus recolet Orator, PATRIÆ SPEM lætis vocibus exponet, & servandam Numini divino precibus devotis commendabit. Atqve idem MUSICO CONCENTU, finitò SERMONE, Chorus quoqve repetet. Audientur enim hæc suspiria:

CHOR. I. Audito vota, quæ DEUS sonorâ
Fervente voce nostra fundit ora!

CHOR. II. Namqve Saxonum si RUTA
Floret, hæc est ora tuta.

CHOR. I. Audito vota, quæ DEUS sonora &c.

CHOR. II. REGIUS Princeps PARENTE,
Floreat semper valente!

CHOR. I. Audito vota &c.

CHOR. II. PRINCIPIS MATER beata,
Fata laudet auspicata.

CHOR. I. Audito vota &c.

CHOR. II. Pax, Quies, Amœnitates,
Leniant acerbitates!

CHOR. I. Audito vota &c.

Sint & AULÆ Luce STELLÆ
Semper emicante belle!

TUTTI. Audito vota, quæ DEUS sonorâ,
Fervente voce nostra fundit ora.

VOS ergo, Musarum nostratium PATRONI & FAUTORES, qui, in PRINCIPE colendò non cunctandum sed certandum esse, no-
stis, convenite GRAS, finitis Sacris pomeridianis, Horâ IV. ve-
spertinâ: & vestra nostris votis pro salute PRINCIPIS connecti-
te. Ad vos enim atqve populares vestros PATRIÆ SPES primos
fructûs benignissimè diffundit; dum LUSATIÆ SUPERIORIS,
PATRE REGE annuente clementissimè, PROMARCHIONIS Jus
& Axioma suscipit. Hinc tanto fervidius pro Ipsius annis atqve
commodis ORATE, & orantes precum prosperos eventus

SPERATE. Dabam Gorlicij Prid. Non. Octobr.

Anno MDCCIII.

•(•)•

•(•)•

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

15. Feb. 1993
15. Sep. 1995

24. Juli 1990
12. Mai 1998

07. Juli 1998

10. Nov. 1999

15. März 2000

17. März 2000

digitalisiert mpys. 15 PPN: 32 8046175

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0068539

